

1558

lo permisisse : nihil vero metu Senatum egisse , ea satis patet facere , quæ superioribus annis a Republica gesta fuerant . His lenire Regis animum , Senatumque tueri est adnixus ; cum regis vero præconsultoribus , Albanoque in primis Duce , acrius propugnat ; ratione , prudentia , dicendi vi ita agit , ut , desæviente impetu , ac maturius rem excedentibus , primus animorum ardor sensim tepescere , atque elanguescere videretur , Albano ipso affirmante : nihil ob id de Philippi in Rempublicam benevolentia decessisse ; cunctis opibus , quadocumque se occasio daret , præsto futurum ; secum Surianus reputaret (hoc enim sermone utebatur) Philippi Regis classem , & copias in Venetorum atrio , veluti clavo infixas esse ; sublato , iis , prout libuisset , uterentur . Hæc an Hispanica adsentatione , an ex animo diceret , incertum ; illud exploratum , cum ad Regem , ut de adepta ad Gravelingam victoria gratularentur , legatus accessisset , perhumaniter exceptum , quamque Rex animo molestiam contraxerat , absterrisse , atque abjecisse omnino visum esse . Attamen paulo post , Francisco Varga Romam ob Ferdinandi negotium proficiisci jusso , intimos animi sensus diutius cohibere non potuisse significavit , quamvis Vargas ad obeundam rursus legationem redditum , Joanne Hernando ab epistolis interea relicto , constanter affirmasset .

*Carolus Cæsar
saris obitus,
& elegium.*

Sub id vero tempus Carolus Cæsar octavum ac quinquagesima annum agens excessit , Imperator prudentia , fortitudine , rebus gestis insignis , felicitate nulli secundus ; nisi in senium vergentem corporis vires , insitus ad gloriam impetus , ac fortuna suis coëptis adspirare assueta defecissent . Multa cum illo Venetis , cum ad Italiam pacem firmandam , tum ad Turcarum impetus repellendos fœdera intercessere , ex quibus nullum sumptibus , laboribus , ac periculis dignum Respublica fructum tulit . Nam Francisco , Sfortiæ sobolis postremo Mediolani Duce , defuncto , ut Insubribus alium Ducem daret , nunquam adduci potuit . Bello vero cum Suleimano gesto , vel ministrorum negligentia , & insito in Venetos odio ; vel ingenti rerum mole Cæsare presso , in Rempublicam universum fere belli pondus procubuit . Ceterum propenso Carolus in Venetos animo extitisse , de illis honorificentissime sensisse , magnique eorum amicitiam fecisse visus est : neque im-